

frustra suscepti mei labores, quando ne iis quidem tam multorum hominum mentes ab amore deliciarum ad severioris vitæ propositum promoveri noluerunt. Quonam modo isti de Christo capite gloriantur, cujus membra esse nolunt? Ut enim D. Augustinus ait: *recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.*

Quod si nos regis nostri exemplum & pudor minus moveat, moveat saltem præmii magnitudo, quod illum sequentibus constitutum est. Ut enim Apostolus ait: (a) *si compatimur, & conregnabimus;* (b) *si mortui fuerimus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo.* Quod idem Dominus aperte testatur, quum ait: (c) *qui mihi ministrat, me sequatur.* Quid deinde? (d) *Et ubi sum ego, illic & minister meus erit:* hoc est, ad eandem cælestis patrimonii hereditatem perveniet, ut quæ ad me pertinent jure naturæ, ad illum quoque deferantur adoptionis gratia. Quod quum ita sit, non absurde Clemens Alexandrinus ait, ad hoc Dei filium in hunc mundum descen-

disse, ut nos velut pennata quadam animalia efficeret, & pennis undique amiceret, ut eo humilitatem nostram proveheret, unde sublimitas ejus ad nos descenderat; & natura illa, cui dictum est, (e) *terra es, & in terram ibis*, conformis Christo effecta, & spiritu ejus informata, super omnes caelos ascenderet. Quisquis igitur ad hanc celsitudinis & gloriæ dignitatem pervenire cupit, viam, qua ad illam itur, detrectare non debet. Via autem, Christus est; quem (f) *oportuit quidem pati, & ita intrare in gloriam suam.* Duobus vero discipulis, eandem gloriam ambientibus, hanc eandem viam ostendit, quum ab eis requirit: (g) *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi diceret: hoc primum cogitate, hoc ante omnia curate; si gloriam & dignitatem quæritis, hæc regia via est, qua ad illam pervenitur. Nemo vero indigne secum agi putet, si ab eo præmium exigatur, quod cælestis Pater a Filio, Filius ab amicissimis apostolis, atque adeo fratribus suis, requisivit. Quis enim, emptus a mercatore pallium, de-

(a) 2. Timoth. 2. 12. (b) Rom. 6. 8. (c) Joan. 12. 26. (d) Ibid.
(e) Genes. 3. 19. (f) Luc. 24. 26. (g) Matth. 20. 22.

pretii caritate queratur, si mercator juret, se non alio pretio & fratribus suis & filiis etiam vendidisse? Nemo igitur, fratres, de pretio queratur: vere enim (a) *non sunt condignæ passionibus hujus sæculi ad superventuram gloriam, qua revelabitur in nobis.* (b) *Momentaneum quippe & leve tribulationis nostra supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

§. II.

Verum hæc infirmioribus dicta sunt, qui his stimulis ad laborum patientiam egent: ceterum perfectos, & eximio Christi amore flagrantés, non necesse est, his illecebris ad labores & pericula propter dilecti gloriæ incitare. Ipsa enim Domini sui dignitas, immensa bonitas, & ardentissima caritas, ut nulla essent præmia laboribus constituta, illos satis superque ad hoc acuerent. Ut enim D. Bernardus ait: *verus amor, hoc est, perfectus amor, de spe vires non sumit; & tamen diffidentia damna non sentit.* Hunc autem dilectionis gradum ostendit regius propheta se habuisse, quum ait: (c) *voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine; quo-*

niam bonum est. Quod perinde est, ac si diceret: immensæ bonitatis tuæ consideratio, Domine, quam in meis sæpe periculis expertus sum, me ad amorem & obsequium tuum movet, & ita movet, ut, si nulla etiam ex hac pietate erga te mea sequeretur utilitas, non minus voluntarie tibi sacrificarem. Et quidem inter magna sinceræ & perfectæ caritatis signa, hoc in primis est, si nullum laborum suorum præmium requirat. Sicut enim odium in Deum tunc summum esse ex præsentis lectione discimus, quum quis illum gratis odit, & sine ullo emolumento ejus leges & mandata perfringit: ita contra tunc summus in illum amor existit, quum quis gratuito illum diligit; hoc est, perpetuo dilecturus est, etiam si nullum dilectionis suæ fructum præter ipsam dilectionem reportaret. In cujus rei argumentum D. Chrysostomus ait, permisisse Dominum, ut innocentissimus Job tot modis a dæmone vexaretur, quo perspicuum omnibus fieret, virum sanctum non mercedis intuitu, sed pura ac sincera caritate, Dominum dilexisse, quando rebus omnibus amif-

(a) Rom. 8. 18. (b) 2. Corinth. 4. 17. (c) Psalm. 53. 8.

sis, extinctis liberis, & corpore gravissimis ulceribus sauciato, semper innocentiam, fidem in Deum, & caritatem retinuerit. Quod quidem, ut idem sanctus pater ait, non obscure illa Domini verba indicant: (a) *numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, & adhuc retinens innocentiam?* Itaque satis hac mira patientia declaravit, se non ob ea, quæ a me percepit, beneficia, sed sincerissima bonitatis meæ dilectione inductum, innocentiam coluisse. Quo quidem virtutis genere non video quid esse possit laudabilius.

Hoc autem modo apostoli post Spiritus sancti adventum Christum Dominum dilexerunt: ideoque (b) *ibant gaudentes a conspectu concilii.* Quam ob rem? Num, quia sciebant, quæ verberibus illis esset merces in cælo reposita? Non ob hoc solum, quamvis hoc debita laude non careat; sed quod *digni habitii sunt, pro dulcissimo Jesu nomine contumeliam pati.* Hinc D. Chrysostomus, de vinculis Pauli differens: *si quis, inquit, Christum diligit, si quis pro amore ejus, ut ita dicam,*

insanit; is scit, quæ sit vinculorum virtus; is novit hanc dignitatem; is agnoscit, quid sit, pro dulcissimo Jesu nomine contumeliam pati. Agnoscebat autem magnus ille Dionysius hanc summam dignitatem & gloriam, qui ad Joannem evangelistam, exilio in Pathmos insulam relegatum, scribens, inter cetera sic ait: *te quidem, numquam ita amens sim, ut aliquid pati arbitrer; sed corporis mala, hoc tantum quod ea dijudices, sentire credo: hoc est, iudicio quidem intelligis, ea esse corporis mala, affectu autem adeo illa non sentis, ut ea etiam tamquam rem optatissimam amplectaris.* Quo modo enim quidquam mali patetur, cui nihil magis erat in votis, quam propter dilectissimum magistrum mille etiam mortes perpeti? Sed quid mirum, si hoc animo Joannes evangelista, ceterique apostoli essent, qui primitias spiritus acceperunt, quum ceteris quoque fidelibus initio nascentis ecclesiæ eadem mens, idem ardor, idemque propositum esset? Sic enim de illis Tertullianus ait: *christiani magis damnati, quam absoluti; gaudemus: cum omni severitia vestra con-*

cer-

(a) Job 1. 8. (b) Act. 5. 41.

vertamus, ultro erumpentes. Cru- delitas vestra, nostra est gloria. Secta nostra tunc magis edificatur, quum ceditur. Quid his verbis animosius? quid mirabilius? Nec enim hoc tam verbis quam rebus ipsis testatum est. Nascentis enim ecclesiæ tempore tot fidelium turbæ passim trucidabantur, ut Plinius Secundus, (a) qui tunc provinciam quamdam administrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad Trajanum imperatorem, quod innumera hominum millia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo. Adulteria vero, vel cetera hujusmodi crimina, apud eos & illicita haberi, & penitus arceri; cetera vero secundum leges eos agere communes. Hoc ipso autem Trajani imperatoris tempore sanctus Simon, cujus hodie festum celebramus, ut Egesippus, Eusebio referente, memorat, immanissime cruciatus est. Non enim cita morte, sed multis diebus, ut idem refert,

quo ejus animi constantiam tyranni labefactarent, variis tormentorum generibus affectus est. Itaque mentis ejus mutatione desperata, ad magistri sui imitationem, crucis paribulo affixus est, quum centum & viginti esset annorum; cunctis admirantibus in corpore senili tam alacrem & robustum animum ad ferenda supplicia.

Hæc est igitur, fratres, vera, perfecta & apostolica caritas, gratuito diligens, & dolorum patiens, de qua merito in Cantic. dicitur: (b) *fortis est ut mors dilectio*: immo vero morte fortior, quæ mortem, & omnia mortis arma & instrumenta superavit. Cui illud etiam verissime convenit, quod ibidem dicitur: (c) *aqua multa non poterunt extinguere caritatem, & flumina non operient eam. Lampades enim ejus, lampades ignis atque flammarum; quas tamen flammæ nec inundationes fluminum, nec fluctus maris, hoc est, persecutionum procellæ, extinguere poterunt.* Verè enim (d) *elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum.* Mi-

ra-

(a) Plin. Secundus, lib. X. epist. 96. (b) Cant. 8. 6. (c) Ibidem, v. 6. 7. (d) Psalm. 92. 3. 4.

rabilis elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus, qui tyrannorum omnium, atque totius hujus magni maris procellam, adversus ecclesiam favientem, invicta apostolorum & martyrum caritate compefcuit. Quorum exemplo, Christe sancte, quam ingens se nobis hoc in loco lamentandi materia offerebat! Totius mundi tempestas, & omnium tormentorum genera, fidelium caritatem labefactare olim minime potuerunt: at nostrorum temporum caritatem, quæ levis aura, quæ vel exigua commoditas, aut cupiditas, aut voluptas de gradu suo non depellit? Illorum constantiam nulla suppliciorum genera, nulli terrores & minæ dejicere poterant: nos vero propter res pæne pueriles & ludicras pietatem & justitiam pæssim prodimus. Quid tu ais in sacra hujus diei epistola, Paulle? (a) *quis nos, inquit, separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an nuditas, an periculum, an gladius?* Nihil certe horum, nec sexcenta alia, quæ deinde commemorat. Hæc enim erat illius sæculi & illorum fidelium firmitas atque constantia. At nostro infelicissimo & numquam satis de-

plorato sæculo sic omnia inversa sunt, ut longe alia ratione interrogare possimus: *quis nos non separabit a caritate Christi?* Quæ res erit tam levis & minuta, quæ hoc apud multorum pectora efficere non valeat? Quæ vel levissima jactura, quis popularis auræ metus, quis inanis rumusculus existimationi nostræ vel leviter officiens, quæ cupiditas, quis affectus paullo impotentior, quæ voluptatis titillatio nos a Christi caritate pæne millies in die non abducit? O miserandam temporum conditionem! o infelix sæculum! o christianæ religionis dedecus, perpetuis lacrimis deplorandum! Verissime certe a Salomone dictum est: (b) *aversio parvulorum interficiet eos*: quandoquidem rerum inanum atque pæne puerilium vel vana formido, vel puerilis & cæcus amor caritatis vitam nobis adimit, & a Christo separat. Hoc ego tantum malum quoniam verbis explicare non valeo, vobis, quicumque Dei sensum & mentem habetis, cogitandum & deplorandum relinquo.

§. III.

Sed ut ad intermissam lectionis evangelicæ seriem redeamus,

(a) Rom. 8. 35. (b) Prov. 1. 32.

mus, causam deinde Dominus affert, cur discipulos suos, atque adeo pios omnes, oderit & infestetur mundus. Subdit enim: *si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. propterea odit vos mundus.* Quid hac ratione evidentius? Constat enim, similitudinem, amicitia & conjunctionis; dissimilitudinem vero, inimicitia atque dissensionis causam existere. Sic videmus, inter elementa, quæ contrariis qualitatibus constant, qualia sunt ignis & aqua, irconciliabile bellum esse; quum tamen ignis & aer, ceteraque elementa, quæ symbola nuncupantur, hoc est, quæ in altera qualitate consentiunt, vix ullum inter se dissidium patiantur. Quum ergo tanta inter pios & improbos dissensio sit; quum illi caritate, isti cupiditate; illi spiritu Dei, isti spiritu dæmonis agantur; illi, Dei leges, isti, mundi leges attendant; illi corporibus suis pro mancipiis utantur, isti ventrem suum sibi in Deum elegerint; illi (a) carnem suam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis semper studeant, isti

omnibus eam delitiis fovere & saginare contendunt: quæ pax, quæ amicitia consensio inter tam diversa studia & vota esse queat? Hinc Salomon, (b) *ambulans, inquit, recto itinere, & timens Dominum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.* Et alibi idem: (c) *qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra illum.* Quæ quidem dissensionis & pugnae causa, omnes alias, quæ inter homines reperiuntur, antiquitate superat; adeo, ut cum ipso pæne mundi exordio nata sit. Quid enim patricidam Caïn in tam exitiale adversus innocentissimum fratrem odium impulit, nisi quod, ut Joannes ait, (d) *opera ejus prava erant, fratris autem justa?* Quid vero Jacob & Esaū fratres geminos referam, (e) quorum alter electorum, alter reproborum typum tenet; qui nondum in lucem editi, in matris etiam utero decertabant, hanc videlicet rixam atque vetustissimum dissidium inter probos & improbos adumbrantes? In hanc autem sententiam apostolus duorum quoque filiorum Abraham exemplum adducit: (f) *sicut enim,*

(a) Galat. 5. 24. (b) Prov. 14. 2. (c) Prov. 28. 4. (d) 1. Joan. 3. 12. (e) Genes. 25. 22. (f) Galat. 4. 29.

nim, inquit, is, qui secundum carnem natus erat, persequetur eum, qui secundum spiritum; ita & nunc: hoc est, ita nunc carnales homines spiritualibus infensi & inimici sunt. Hujus autem vetustissimi odii causa est, partim quidem, ut ante diximus, utriusque vitæ dissimilitudo; partim etiam tacita quædam improbæ vitæ, ex piorum comparatione, damnatio. Scitum enim est illud divi Augustini: nihil ita condemnare vitam malorum, quam vitam bonorum. Ut enim pulcherrima quædam imago, juxta deformem posita, ejus deformitatem magis conspicuam reddit: ira virtutis & honestatis splendor, qui in piorum moribus elucet, flagitiosorum hominum dedecus & turpitudinem aperit detegit & ostendit.

Quæ ideo a me dicta sunt, fratres, partim ut quicumque pie & reverenter Deum colitis, patienter aliorum detractiones & irrisiones perferatis: intelligentes, christiani hominis vitam esse, ut Bernardus ait, „ bona facere, & mala pati; & „ beatos a Domino prædicari, „ qui persecutionem propter „ justitiam patiantur: partim „ ut quicumque justorum sim-

„ plicitatem deridatis, ipsos „ que disteriis, illusionibus, „ detractionibus, confictisque „ nominibus ignominiosis per- „ stringitis, cælestem vindi- „ ctam formidetis, illamque „ Domini vocem extimescatis: „ (a) nolite tangere Christos „ meos, & in prophetis meis no- „ lite malignari; & illam item: „ (b) qui vos tangit, tangit pu- „ pillam oculi mei. „ Unde evenit, ut sæpe Dominus multo severius suorum injurias, quam suas, ultus sit. Quam ob rem opportune Sapiens hujus rei nos admonet, quum ait: (c) ne quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. Septies enim in die cadet justus, & resurget; impii autem corruent in malum: hoc est, ita corruent, ut in eodem semper luto infixi jaceant. Hoc autem in eos quadrat, qui si in hominibus, qui vel paullo frequentius sacram eucharistiam sumunt, aut studio sanctæ orationis incumbunt, levem aliquem lapsum viderint, miras ob hoc tragœdias excitant; quasi homines illi jam esse desierint, aut quasi jam omnes naturæ affectus & cupiditates exuerint, ubi primum se Dei obsequio tradiderunt. Illos ergo qui sic ab

(a) *Psalms. 104. 15. (b) Zachar. 2. 8. (c) Prov. 24. 15, 16.*

*improbis hominibus lacerantur, his verbis, quæ modo audistis, Dominus consolatur: si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret, &c. hoc est, si mundano more vitam institueretis, nequaquam mundus damnare posset, quod ipse moribus suis probat: quia vero longe alia ratione vitam agitis, necesse est, ut aversetur mundus, quod ipse vivendo non probat. Unde consequens esse videtur, ut a mundo, hoc est, a flagitiosis hominibus reprobari, id vere probari sit. Certe Seneca hominem virtutis studiosum hoc sibi nomine gratulari debere ait, quod a perditis hominibus improbaretur: *mibi jam, inquit, quod argumentum est recti, contigit, malis displicere.**

Pergit deinde Dominus exemplo iterum suo discipulos ad futuros labores & persecutiones præmunire, dicens: mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Si me persequuti sunt, & vos persequentur, &c. Quod perinde est, ac si diceret: nemo putet, majori se dexterrate clavum vitæ moderari posse, quam ego moderatus sum. Quod si nec mihi quidem mundus pepercit, qui sic vixi, qui

Tom. III.

(a) *Joan. 19. 25.*

tot mundum beneficiis affecti, tot signis ad fidem inducere conatus sum; quæ vobis spes reliqua salutis & incolumitatis esse poterit? Sic plane discipulis evenit, ut hoc in loco Dominus pronuntiavit. Omnes enim illos mundus variis tormentorum generibus e medio sustulit, omnesque, uno excepto Joanne, præceptoris sui exemplum sequuti, morte sua Deum glorificaverunt, æternamque martyrii palmam adepti sunt. Quod idem beatissimis apostolis Simoni & Judæ, quorum hodie festum celebramus, contigit, qui similes martyrii coronas a Domino percipere meruerunt. De quorum glorioso agone, quoniam scriptores ecclesiastici variant, nihil aliud dicam, nisi quod Christi Domini apostoli, & ecclesiæ columnæ fuerint, fidemque, qua nunc omnes merito gloriamur, ad nos ipsi capitis tui dispendio, quasi hereditario jure, transmississent. Ad quorum laudem accedit, quod consobrini Domini Salvatoris simul cum Jacobo minore fuerint. Hos enim tres habet felicissimos filios Maria Cleophe, beatissimæ Virginis Mariæ soror, quæ etiam (a) juxta crucem

O

cum

cum eadem sacra Virgine, & Maria Magdalena, & Joanne evangelista adstitit: ubi piam matrem, discipulis eam deserentibus, non deseruit; sed calicis & mæroris sui & testis, & particeps, & consolatrix existit. Nos ergo, fratres, sive felicitium filiorum agones, sive

pias matris eorum lacrimas imitari studeamus, adversus cupiditates nostras perpetuo deceremus, quo (a) feminantes in lacrimis, in exultatione meremus: ut sic tandem ad eorum, quorum festa recolimus, societatem, eodem Domino adspirante, pervenire mereamur.



IN F E S T O
O M N I U M S A N C T O R U M
C O N C I O P R I M A ,

IN QUA DE HOMINIS BEATITUDINE,
deque itineribus, quibus ad eam pervenimus, differitur.

THE. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis. Matth. V. 12.

**** Nter festos dies, quos
* I * ecclesia quorannis
* * * * * sollempni religione
* * * * * celebrandos suscipit, hic dies vel summum, vel maximum certe locum obtinere videtur. Cetera namque festa, aut singulorum sanctorum, aut singularium mysteriorum sunt: hoc autem, sub unius diei sollempnitate, sanctorum omnium festa complectitur. Ma-

gno autem Spiritus sancti consilio ecclesia hoc instituisse videtur. Primum quidem, ut quæ per socordiam & injuriam in ceteris sanctorum festis deliquimus, aut minus plene præstimus, hujus saltem diei ampliori devotione pensaremus; & unus dies rite celebratus aliorum omnium negligentias refarciret. Deinde, ut hoc uno die sanctorum plurimis, quibus

(a) *Psalm. 125. 5.*

bus singulares dies festos decernere non vacat, debitam eorum meritis laudem & honorem hac saltem ratione impenderemus; quando aliter non possumus, quum omnes anni dies intra angusta spatia contineantur, sanctorum autem numerus vix comprehendi possit. Quam rem oculatissimus testis Joannes evangelista in Apocalypsi confirmat: qui ubi centum octoginta quattuor millia sanctorum enumerasset, quos ex singulis tribubus Israël Dominus ad æternam vitam cooptarat, subdit protinus: (a) „ post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante „ thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & „ palmæ in manibus eorum, & „ clamabant voce magna, dicentes: salus Deo nostro, qui „ sedet super thronum, & agno. „ Ex quo plane loco illud colligere licet, quod quamvis incomparabiliter multo plures sint qui pereunt, comparatione eorum qui salvantur; est enim, ut Salvator ait, (b) *arcta via, que ducit ad vitam; lata autem & spatiosa, que du-*

cit ad perditionem: nihilominus tamen electorum turbam adeo esse magnam, ut a nemine numerari possit, Joannes hoc in loco asserat. Quin ex solis tantum martyribus tam ingens multitudo in calis coronata triumphat, ut si ecclesia omnibus illis festos dies instituere decrevisset, supra quinque millia martyrum, ut D. Hieronymus testatur, ad unumquemque diem assignare potuisset. Horum igitur laudibus, quibus dies singulos ecclesia destinare non potuit, hunc unum diem voluit esse dicatum.

Est & alia non inferior hujus sollempnitatis causa, nempe, quod hac ratione multos nobis advocatos in celo comparare voluit, quum ab illis pro impensis precibus & laudibus opem & patrocinium suppliciter implorat. Sunt quidem illi ad hoc officium præstandum propensi; qui, ut D. Augustinus ait, *de sua salute securi, de nostra solliciti sunt*. Eos namque & germana caritas, qua nos concives suos futuros prosequuntur, & hujus vitæ pericula, quæ illi evaserunt, ad nos omni ratione juvandos sollicitant: nostris tamen precibus & laudibus propensiores ad hoc

O 2 of

(a) *Apocalyp. 7. 9. 10.* (b) *Matth. 7. 13. 14.*